

sequuti fuerint eundem, qui apud eos, ad quos loquebantur obtinebat. *f* Imo videtur Paulus, *t* quem gentium apostolum vocant, singulari Numinis providentia ad gentiles convertendos delectus, quod præ reliquis profanarum litterarum cognitione præditus existeret. Inprimis id est commemorandum, quod philosophiæ studiis apud Judæos innutritus pharisaica secutus fuerit instituta, ut refert Lucas: *u* de his autem docet FLAVIVS JOSEPHVS *x* & ipse pharisæus, quod ad stoicam apud Græcos sectam proxime accedant; quem ad modum constat Sadducæorum sectam quam maxime corruptæ Epicuræorum philosophiæ convenire, hancque stoicæ olim fuisse summopere exosam. Quæ dum observo videtur mihi hinc aliqua lux accedere disputationi PAVLI, quam adversus Epicuræos stoicosque Athenis instituisse legitur apud LUCAM, *y* nec non verbis PAULI I. ad Cor. XV. 29. 36. Poterant hæc speciminis loco sufficere, interim aliis investigandum relinquo: annon Paulus *z* spiritum ex Deo opponat spiritui mundi inter stoicos platonicosque celebratissimo? annon Idem I. ad Thess. V. 23. ad hypothesein ebraicæ græcæque philosophiæ de tribus partibus hominis, ut illi existimabant, respiciat; Illud saltem satis videtur probabile, *γνώσεως* vocabulum à philosophis esse mutuatum, unde ex historia philosophica illustrari potuerunt: Rom. I. 19. I. Cor. XIII. 8. I. Tim. VI. 20. uti ostendit JACOBUS THOMASIUS, *a* qui etiam conferri meretur ad I. Cor. II. 14. I. Cor. XV. 44. Jud. 19. de psychicis, ex quibus ni fallor

*f* E. g. Rom. XI. 13. XV. 15. 16. I. Thess. II. 14. Ephes. II. 12. Coloss. I. 21. II. 11. 16. sq. conf. Friedrich Gotwald in der Abfertigung Edzardi.

*t* I. Tim. II. 7. II. Tim. I. 11.

*u* Act. XXIII. 6.

*x* In vita sua.

*y* Act. XXII. 16. 31.

*z* I. Cor. II. 12.

*a* In origin. hist. philos. & Eccles. p. 103. 31. 47.